Qui enim eundem ipsum patrem habere david quem filium altissimi
vocari pronuntiat. In duabus utique naturis unam christi personam
demonstrat. Accepit autem sedem david ut nimirum gentem cui david
quondam et filii eius temporalis regni gubernacula praebuerunt
ipse perpetuum vocaret ad regnum quod eis paratum est ab origine mundi.
ET REGNABIT IN DOMO IACOB IN AETERNO ET REGNI EIUS NON ERIT FINIS: VI
Et esaias ait: multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis super
solium david et super regnum eius ut confirmet illud et conroboret in iu
dicio et iustitia. Non dixit in adquisitione gloriae gazarumque ter
restrium non in victoria gentium plurimarum urbiumque debel
latione superbarum sed iudicio et iustitia. Per haec enim regnum
christi et in singulis quibusque fidelibus et in universa per orbem mul
tiplicatur pariter et confirmatur ecclesia. Domum namque
iacob totam ecclesiam dicit quae vel de bona radice nata vel cum oleaster
esset. Merito tamen fidei in bonam est inserta olivam. Quam post
triumphum passionis alloquens salvator ait: Qui timetis dominum laudate
eum universum semen iacob magnificate eum. Non autem ideo
futuri temporis verbis magnus extiturus iesus filius altissimi vocandus
sceptrum david accepturus et in domo iacob regnaturus asseritur quia
iuxta quod heretici sapiunt atque a veritate desipiunt christus ante ma
riam non fuerit. Sed quia homo adsumptus in dei filium clarificaturus est ea
claritate quam verbum dei abuit prius quam mundus esset apud pa
trem. hoc est ut idem filii nomen eandem christi personam homo cum deo
plenus gratia et veritate sortiretur. DIXIT AUTEM MARIA VII
AD ANGELUM: QUOMODO FIET ISTUD QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO:
Propositum suae mentis reverenter exposuit. vitam videlicet virgina
lem se ducere decrevisse. quae quia prima feminarum tantae se virtuti
mancipare curavit. Iure singulari prae ceteris feminis beatitudine meruit
excellere. Quomodo inquit fiet istud. non ait unde hoc sciam sed
quomodo fiet inquid quoniam virum non cognosco. Ordinem videlicet